



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. In genere, bonaa, & mala. Ex Vet. &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Vidimus stellam in oriente & venimus. Matth. 2. 2. Et tu cunctatis visò sole in occidente? Sufficit magis ad exilium ultrò appetendum natum in cœlo fidus; & tibi non factis est, ad invadendum regnum mortuus in Cruce Sol? O felices Magi! sed ò latro Regibus longè felicior! Tibi indicârunt tenebræ, quod lux illis nuntiavit. Sed, quod illi diuturnâ peregrinatione, & largâ effusione donorum, consecuti sunt; tibi vox una impetravit à Verbo. Oliva t. 2. Strom. §. Vidimus stellam ejus.

Mittentes retia. Matth. 4. 18. Major est piscatoribus occupatio, dum retia in mare jaciunt; ac dum extrahunt. Ut ergo discamus, quòd, vocante Deo, omnis occupatio; sive illius adsit finis, sive principium; abrumpenda sit: ideo mittentes retia vocantur. Sylveira hic. Petrus, & Andreas, relicis retibus secuti sunt Redemptorem. Nulla verò hunc facere adhuc miracula viderant; nihil ab eo de præmio aternæ retributionis audierant: & tamen, ad unum Domini præceptum, hoc, quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos ejus miracula videmus; quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus detremur: & tamen vocantem sequi contemnimus &c. S. Gregor. hom. in Evang. hic.

Exiliens venit ad eum. Marci 10. 50. Periculosum est, cum Dominus vocat, moras innectere, aut remissè gradi ad opratum, & definitum hominibus; bonum. Sim. Cass. l. 5. c. 32.

Mittit Discipulos suos, ut in te, sicut in pullo asinæ sedeat: curis te secularibus solvat; ut paleas & lateres, Ægypti derelinquens, Moysen sequaris in eremo, & terram repro-

missionis introeas. Nemo sit, qui prohibeat; non mater, non foror, non cognata, non germanus: Dominus te necessariam habet. S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium.

O anima ingrata! ò viscera dura! usquequo fatigas Dilectum tuum? Pulsat; & ei non vis aperire? Vocat te; & non vis eum audire? Pulsat semel, & iterum; & tu eum expectare, & reexpectare, jubes? modicum, & modicum. If. 28. 10. 13. Vocat semel; vocat iterum: & tu nihilominus eum expectare jubes, modicum, & modicum. Modicum in uno loco, & modicum in alio: modicum tibi, & modicum tibi. Cogitur igitur Dilectus tuus facere sape, & multum; quod tu dicis modicum, & modicum. Nam modicum, & modicum, protrahis in longum, & longum: & in hunc modum fraudas amicum tuum & fatigas Dilectum tuum. Rich. à S. Vict. de arca myst. l. 4. c. 13.

Egressus est de domo paterna Bernardus, videns autem Guido primogenitus fratrum suorum Nivardum minimum cum pueris in platea: eja, inquit, frater Nivarde; ad te solum respicit omnis terra possessionis tuæ. ad quod puer non pueriliter: vobis ergo cœlum; mihi terra? non ex æquo divisio hæc facta est. Paulò post fratres secutus. Vitæ S. Bernardi l. 1. c. 3.

Aspectus divinitatis propitiæ, munus est conservationis humanæ. Quam beati esse-mus omnes! si, quam promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam promptè ipsi Deum audire vellemus. Salvianus de prov. Div. l. 2.

Vide Inspirationes.

TITULUS XVIII. VOLUNTAS

in genere.

Bona, & mala.

§. I.

Ex Veteri.

Lignumque scientie boni, & mali. Gen. 2. 9. Proprium est voluntatis arbitrium; quod in medio nostri est positum; ad dignoscendum bonum, vel malum. De quo, qui relicta Dei gratiâ gustaverit, morte morietur. S. Isidorus Ep. hic c. 3. ante finem.

Vocemus puellam, & queramus ipsius voluntatem. Gen. 24. 57. Ex Hebræo verti potest: os ejus inquiramus. Nam sape in Scriptura os pro voluntate usurpatur: quòd hæc per illud enuntiarî solet, & significari. Doultreman l. 3. c. 4. Sect. 4.

Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet absque tuo imperio &c. Gen. 41. 40. Hoc non immeritò videtur Deus dicere voluntati,

quod olim dixit Pharaò Josepho. S. Franc. Sales. de div. am. l. 1. c. 1.

Omnia, quaecunq; voluit, Dominus fecit in cælo, & in terra. Ps. 134. 6. Sed audite causam, cur edicta Dei semper impleantur: omnia opera ejus vera; & via ejus judicia. Dan. 4. 34. Rich. à S. Vict. l. 2. de erud. hom. inter: ergo idem est ejus voluntas, quod æquitas; & æquitas, quod voluntas.

Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis &c. If. 1. 5. Caput liberum arbitrium; cor consilium; pes carnale desiderium. Rich. à S. Vict. de statu inter hom. tr. 1. c. 1.

Ex Novo.

Omnis arbor. Matth. 7. 17. Per arborem intelligimus, seu bonam, seu malam, voluntatem. V. Beda hic.

Si quis vult post me venire. Luc. 9. 23. Eques, & nobilis, habet duo servorum genera: quosdam captivos, & emptos; quosdam cognatos, & consanguineos; eosque nobiles, & honoratos. Prioribus imperat, nolint, velint: & ab illis urbanè, & comiter petit. Homo servus nobilis, & consanguineus Dei, reliquæ creatura, sol, luna, stella, terra; mancipia: his imperat. Sic imperavit soli, ut staret. Jos. 10. 12. Tempore Passionis soli, & lunæ nē luce- rent. Igni. Dan. 3. 49. Jordani, nē flueret. Jos. 3. 16. Leonibus. Dan. 14. 30. Corvo, ut pascere- ret Eliam 3. Reg. 17. 4. Balenæ ut servaret Jon- nam. 2. 1. Ab homine petit tanquam ab il- lustris & cognato, relinquendo totum in manu ejus. Paralytico dicit: *vis sanus fieri?* Joan. 5. 6. Cæco: *quid tibi vis faciam?* Luc. 18. 41. Stella hic.

Da mihi portionem substantiæ. Luc. 15. 12. Rationalis, ad quam subsequitur liberum arbitrium, substantia est hominis. Dat nobis Dominus rationem, ut eâ liberè, tanquam nô- strâ substantiâ, utamur. Theophylactus hic. In sua potestate esse voluit ille filius, qui dixit: da mihi partem patrimonii, quæ me contingit. Bene servabatur apud patrem, nē cum meret- ricibus dissiparetur. Accepit, facta est i n ejus potestate: profertus in regionem longinquam effudit omnia cum meretricibus. S. August. in Psal. 131.

Ecce ego ad ostium, & pulsus. Apoc. 3. 20. Mea præsentia nulli vim asserit: cordis ostium pulso: promptè aperiens super salutem suâ gra- tulator; illumque opiparæ cœnæ locò duco. S. Andreas Cæsar l. c. 23. in Apoc.

Ex Patribus, & alijs.

Non est Rex, neque princeps, qui extor- queat nobis facere, quod non proposuimus. Nec similes sumus Græciæ Philosophorum; qui verba pro rebus meditati sunt ad opinionis cele- britatem. Nobis res socia verbis, & verba rebus: res celeres & sermones breves; in virtute nobis libertas est. S. Ambros. ep. post medium.

In malis, flagitiosisq; factis cupiditas prop- tere dicitur, non voluntas. S. August. l. 2. de serm. Dom. in morte c. 34.

Caput languet: quia liberum arbitrium ad omne bonum torpet. Cor mæret: quia ma- lum, quod patitur consilium, sicut, nec ignorare, sic nec dissimulare valet. Pes cum toto corpore dolet: quia concupiscentiæ malum undiq; fervet. Rich. à S. Vict. tr. 1. de statu inter. hom. c. 11.

Inter omnia creationis bona nihil in homine sublimius, nihil dignius, liberò arbitriò: nihil ut- ilius, nihil occultius, salubri consiliò: nihil infer- rius, nihil infirmius, carnali desiderio. Idē ib. c. 3.

Totus Infernus, totus Mundus, totus deniq; militiæ cœlestis exercitus, in unum con- curret, in hoc unum conjuret: unus ex libe- ro arbitrio consensus in quacunq; re invito extorqueri non potest. Idem ibidem.

Nihil est homini amabilius libertate prop- riæ voluntatis: per hanc enim homo est etiam aliorum dominus: per hanc alijs uti, vel frui,

Rohyanth. Sacra, II.

potest: per hanc etiam actibus suis dominatu- S. Thom. Aqu. de perfect vitæ spir. c. 10.

Liberum nostrum arbitrium nunquam tam est liberum, quàm quando est mancipium divi- næ voluntatis: sicut nunquam magis est ser- vum; quàm quando servit propriæ nostræ vo- luntati. Sicut nunquam tantum habet vitæ, quàm quando sibi ipsi mortuum est: nunquam contrà tantum habet mortis, quàm quando sibi ipsi vivit. S. Franc. Salef. de div. am. c. 10. l. 12.

Algerus de Sacramentis l. 2. c. 7. querit: cur supplicia peccatis & præmia virtutis, sint æter- na; cum opera sint temporalia? Et videtur non solum immodicus rigor; quod unius horulæ, vel momenti, culpam æterna pœnâ plectat; sed etiam quædam prodigalitas, quod operis temporarii remuneratio sit æterna. Respondet: quia Deus non temporalem actionem, sed per- petuam boni, vel mali, remunerat, vel damnat, voluntatem: quæ, si in æternum viveret, in æternum in suo proposito permaneret: ideoq; justè æternitatem retributionis æternitati vo- luntatis appendit.

Congruum est, ut ad liberæ simus voluntatis, conformandum nos loco, in quo sumus; qui quo sumus; qui est medius inter bonum, & ma- lum; inter cœlum, & Infernum. Broymard Vo- luntas libera.

§. II.

Voluntas bona pro opere.

Ex Veteri.

Non pepercisti unigenito tu propter me: Gen. 22. 12. Voluntas pro opere acceptatur. Did. Nis. Vita Abr. l. 11. c. 6.

Consecrasti manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio & in fratre suo, ut de- tur vobis benedictio. Exod. 32. 29. Sed quo- modo Levitæ filios, ac fratres suos occidere po- tuerunt? Nam Moyfes convocavit ad se omnes Levitas, ad idololatrias occidendos, ut appa- ret v. 26. Filij verò, ob fratres, Levitarum e- rant etiam Levitæ. Ergo nullus fuit Levita occi- sus, sed omnes occisores. Aliter, & aliter respon- dent Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Oleaster. Sed facilis, & accommodata, videtur hæc res- ponsio: Levitas, non factò, sed votò, fuisse suorum filiorum, & fratrum, occisores: adeò enim prompti erant ad parendum DEO: ut etiam fratres, & filios, occidissent; si jusisset. Mendoza in 1. Reg. 3. Annot. 3. Sect. 2.

In dedicatione templi Salomonici inscripsit David Psal. 29. *Psalms Cantat in dedica- tione Domus David.* Cur non potius dixit, in dedicatione Domus Salomonis? nam illud templum non à David, sed à Salomone condi- tum fuerat. Respondeo ex Lyrano: quia li- cèt Salomon templum illud ipsò opere condi- derit, David tamen multò antè illud animò, & voluntate, ædificaverat: quia non minus Deus obsequendi affectu quàm effectu, delectatur. Idem in 1. Reg. 14. Sect. 2.

Surge Domine in requiem tuam. Psal. 131. 8. Salomon templum inchoavit & perfecit; David

X x x x